

**Exercitatio medica inauguralis, de affectu hypochondriaco ... / ex
auctoritate ... Joannis Ortwini Westenbergii, ... pro gradu doctoratus, ...
examini submittit Thomas Griffith, Cambro Britannus. Ad diem 27. Martii,
1725.**

Contributors

Griffith, Thomas.
Westenberg, Joannes Ortwin.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugd. Batav : Apud Henricum Mulhovium, [1725]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/erz6gt7k>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

-EXERCITATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
**AFFECTU HYPOCHON-
DRIACO.**

Q U A M,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

EX AUCTORITATE MAGNIFICI RECTORIS,

D. JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII,

J. U. D. ET JURIS CIVILI ROMANI AC HODIERNI IV ACADEMIA LUDUNO-BATAVA ANTECESSORIS ORDINARI:

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,


PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINÆ HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum Examini submittit.

THOMAS GRIFFITH, Cambro Britannus.

Ad diem 27. Martii, 1725. hora locoque solito.



Studio et Vigilantia

Lugd. Batav. - Spud Henricum Mulhorium.

EXERCITATIO MEDICA
IN AEGUARIA
DE
REFECTU HYPOCHONDIACI
DR. IACO.

ANNUNCIATE DEO TERRA ET MARE
ET PROSTATORIA MAGNIFICI RECTORIS
JOANNS OTTOMANI WESTPHALI
D. ET HERIB. CHART ROMANI AC HONORI VI ACT.
JULIVI 1580. BYTAVIA ANTICISSIMA ORDINARI
NEC NON
MULTISSIMI SEMINATIS ACADEMICIS CONSULTANT
ET NOTISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECERETO
PRO GRADU DOCTORATIS
SUMMUS RITE AC PECULIARIE CONSEGUENDAS
BRAGINIANA EXAMENI
ROMAS GRILLOTH. Capito Praelatus
ad hunc s. Venerabilem, 1580. Annos proposito 60.


*NOBILISSIMO,
HONORATISSIMO,
ET
ORNATISSIMO
OMNI DOMINO,*
D^{NO}. HENRICO BRYDGES
ILLUSTRISMI PRINCIPIS
JACOBI DUCIS DE CHANDOS
FILIO,
HUJUS NUNC ACADEMIÆDIGNISSIMO
JUVENI, NON GENERIS SPLENDORE
MAGIS, QUAM ERUDITIONE, ANI-
MIQUE EXIMIS DOTIBUS
CLARO.
&c. &c. &c.
AMORIS TESTIMONIUM
CCC.
T. GRIFFITH

SPECTATISSIMO, AMICISSIMOQUE

JUVENI, OMNIVMOH

B ROCHEO BRIDGES,

OMNARMIGERO. MRO

P RÆSTANTISSIMO

ET VERE MAGNANIMO,

VIRO,

ANDREÆ ROBINSON,

EQUITUM SCLOPET: ANGL. PRÆFECTO.

A T Q U E

FRATRI SUO CHARISSIMO.

NEHEMIÆ GRIFFITH,

ARMIGERO,

OPUSCULUM HOC

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

GRATITUDINIS,

CULTÙS,

AMORIS

TESTIMONIUM,

D. D. D.

T. GRIFFITH.

PRO O E M I U M.

MISTA varietas , per tot secula in-
exhausta , quâ medicinæ campus
gaudet , materiæ subjectis , ad se-
verissimas cogitationes exercendas ,
atque ad ingenia acutissima occu-
panda , deficere haud videtur : Quis autem
T Y R O , labore summo , industriâ arduâ , assi-
duâque applicatione , perspicientiam plenam in
ullo hujus nobilissimæ scientiæ argumento attin-
gere potest ? ο βίος Βεργίν , ή δὲ τέχνη μακρή ,
fuit olim nostri conditoris exclamatio ! divinus ille
senex affirmat vitam hominis licet pluribus pro-
ductam annis , arti plenè percipiendæ ac perfe-
ctè exercendæ vix sufficere ; cum eo sanè que-
ruli profiteamur hanc artem longiora vitæ desi-
derare tempora . In hoc verum statu , quo se-
vertat candidatus imperitus ? qui , ob judicium
adhuc penitus immaturum , & ob tantam inter

A

Artis

P R O O E M I U M.

Artis fautores discrepantiam, incapax prorsus videtur suam proferre sententiam, multò minus, tot criticis adstantibus, eam in aspectum lucemque asserere. Me ipsum quod attinet, B. L. si optionem facerem, ætatem in rebus discendis tantummodo terere mallem; sed ALMÆ MATRI subserviens, ejus mandata obsequenter exequor, hocceque molimen tibi submitto: cordatè judica; quod ex aliorum scriptis colligitur defensionem nequaquam desiderat; quod autem à me interpositum est, haud emendosum evadet; allucinationem itaque ut excusatam habeas humillimè rogo & precor.

EX-



EXERCITATIO MEDICA
INAUGURALIS.
DE
AFFECTU HYPOTHONDRIACO.

I.

MACHINA humana, licet à SAPIENTISSIMO CREATORE adeo accuratè compacta sit, ità tamen excogitata est, ut sola per se varios & infinitos ferè motus præstare possit, ad quos perficiendos, infinitæ diversæ circumstantiæ physicæ, his motibus accommodatæ, requiruntur; qui motus cùm
A 2 sæ-

pè tam parvi sunt , oportet etiam ut partes fabricam constituentes sint , quoad sensus nostros , infinitæ numero , & exilitate ; unde fieri non potest , quin talis minimorum congeries , variis etiam malis fuerit obnoxia ; imò hinc patet difficultas , etiam impossibilitas primas horum causas investigandi , nos enim (inquit BAGLIVIUS) latet , & termumque latebit , minima illa , ac subtilis , non solum à sensibus , sed ab humanæ mentis acie prorsus remota , solidarum , &què ac fluidarum corporis viventis partium textura : at nunquam magis conspicua apparet hæc veritas , quam ex obscurâ eâ doctrinâ quæ de AFFECTU HYPOCHONDRIACO habetur , quem attamen pro argu-
mento pensi injuncti elegi.

II.

Plurimi , hujus morbi veram naturam ne-
scientes , eum tanquam ut imaginationis ad-
modum fertilis sobolem , minimè verò ut ali-
quid reale , respiciunt : sed rem longè aliter
se habere , clamat illorum tetrica experientia ,
qui hoc malo infeliciter cruciantur ; patet et-
iam ex repetitis illorum sententiis qui in Arte
me-

medica versantur ; ità ut audacter afferere possimus quod nullos ferè non æmulatur ex iis affectibus , quibus atteruntur miseri mortales : quicquid (dixit HIPPOCRATES) homini molestiam adfert , morbus appellatur ; talis procul dubio est Affectus hypochondriacus , ubi functiones ità læduntur , ut Æger suas actiones summâ cum molestiâ , renixu , animi tristitia , & citissimâ defatigatione exerceat : hunc autem verum esse morbum haud ultrâ probare nemo dignetur ; qualis autem sit , hic labor , hoc opus est .

III.

Dividuntur morbi in *Acutos & Chronicos* , inter quos ultimos eminet hic Affectus , quorum , teste magno nostro SYDENHAMO , partem medium occupat . Hic autem videtur quædam difficultas oriri , quoniam hæ affectiones tantum periodicè agunt , & plerumque juxta Acutorum tempus solvuntur paroxysmi : dicimus autem hunc morbum ad Melancholiā pertinere , quæ ab omnibus pro morbo chronicō habetur ; & si mihi liceat conjecturam facere , inter morbos melancholicos .

licos eundem tenet Affectus hypochondriacus locum, quem & Febris intermittens inter Febres: hic enim nondum adest istud pertinax & diuturnum delirium, quoniam māteries morbifica adhuc non penitus radicata & immobilis existit, ac quoties à naturā ipsā, vel ope medicamentorum superatur, toties solvitur paroxysmus, donec tandem, crescente malo, omnino in veram Atram bilem degenerat.

I V.

Si ad frequentiam hujus morbi attendamus, quid toto terrarum orbe communius? quæ civitas, quod oppidulum, quæ familia innumeris vacat exemplis? de affectione igitur adeo notabili & universâ, unde tanta inter viros sagaces dissensio? nimirum, quia mirificum hoc malum inter istos obscurissimos, & maximè difficiles morbos primariam tenet sedem, ubi (ipse dixit) *opinio magis quam ars judicat*: addatur testimonium SYDENHAMI, dicentis hunc affectum perobscuram & molestam Diagnosin habere; *quasi farrago sit quædam φάρρομένων incomposita atque inordinata*, unde

dè perarduum est hujus morbi historiam describere: quare ex hacce multiformi symptomatum varietate, de morbo adeo complicato, ex tot diversis speciebus composito oriuntur tot sententiæ, quot sunt, capita; ita ut secundum peculiarem aliquam ideam præsenti cuidam phœnomeno quadrantem, quam sibi quisquis pinxit, nomina, natura, causæ, sedes &c. huic affectui assignantur.

V.

His itaque præmissis hancce præbeo definitionem, **AFFECTUS HYPOCHONDRIACUS** est quædam melancholia intermittens, orta vel à vitio corpori inhærente, vel etiam ab ipsâ mente initium ducens, corpus bene sanum brevi afficiens. Hic enim affectus ad internum æquè ac ad externum hominem se extendit; & licet hæ partes adeo diversæ existant, tam verò arctâ lege consortii fœderantur ad invicem anima & corpus, ut omnia tam bona quam mala unius in alterum vicissim corrirent; hinc etiam licet anima non propriè sit objectum medicinæ, attamen ut existit corpori conjuncta, cuius *statum determini-*

na-

natum idem animæ status individuè comitatur, attingitur à Medicinâ quæ in solum corpus agens, confuetas animæ conditiones restituit.

V I.

Observat noster jam citatus Author, *fœminas multò crebrius hoc morbo corripi quam solent mares; & ratio, ni fallor, manifestè ponatur in istâ eleganti & delicatulâ harum structurâ quæ virili longè debilior ac laxior est: sed licet hæc mollior textura eis à naturâ ipsâ data sit, morbi tamen hinc pendentes sæpius ad peculiarem vivendi methodum pertinent, quoniam (inquit SYDENHAMUS) inter fœminas huic malo obnoxias, istas excipiendas esse, quæ laboribus assuetæ durè vitam tolerant: unde concludimus Affectum Hypochondriacum esse ex morbis à nimiâ debilitate & laxitate Fibrarum; & hinc istos viros, quorum structura, & mos vivendi proximè accedat ad istam alterius sexûs, qui nimirum se vitâ sedentariâ & effœminata enervant, huic oneri penitus succumbere.*

V II.

V I I.

In tali laxiori corporis habitu, symptomata primò observata in vitiosa ventriculi constitutione redundant, ubi à defectu debitæ concoctionis, quodcunque ingestum sit, suam peculiarem indolem sequens, quam plurima producit mala; unde Cl. PITCARNIUS ab hoc comminutionis defectu asserit hunc morbum solummodo oriri. Hoc etiam olim ab ipso HIPPOCRATE notatur [in *Lib. de Rat. vici. in M: acut.*] “melancholicæ affectiones carnium bubularum esu ingravescunt, quod earum natura minimè superari queat, neque quilibet ventriculus eas concoquere possit, idem etiam à GALENO observatur [in *Lib. 3. de locis aff.*] “est præterea tertium melancolia genus, ubi ortum à *Ventriculo* suscipit, & COEL. AURELIANUS distinguendo inter & hunc alium morbum, dicit, in hac affectione principaliter *stomachus* patitur. Hinc comesturā jam factā semper ferè hi miseri homines quam maximè aggravantur, gravedinem ac perturbationem in ventriculo sentiunt, ibi enim vera species fermentationis vel putrefactionis ob-

B tinet,

tinet, unde flatum copia excitatur, quæ non solum ventriculum sed etiam vicinas partes distendit, statim ructus acidus, quandoquè nidorosus comitatur, cardialgia, morsus, fastidium, nausea, vomitus crudus, spasmi, syncope &c. sequuntur; rugitus etiam, murmura & borborygmi in intestinis: unde hic morbus à multis vocatur *Affectio flatuosa*. ex his etiam flatibus excitantur dolores in his partibus, sàpè ad dorsum & lumbos se exten-dentes.

Quædam ex his symptomatibus oriri vel saltem augeri videntur ab hac cruda materia sphincteres ad lacteorum oscula positos irri-tante.

VIII.

Dein quoniam vitium in prima coctione haud in secunda dicta emendatur, per totam viam circulatoriam dira oriuntur phœno-me-na, & hinc à diversis Authoribus singula qui-dem pars pro hujus morbi sede habetur, sed malè, quoniam plurima habemus exempla ubi dissectis cadaveribus Hypochondriacis, nunc in hoc, nunc autem in alio viscere vitium ali-

aliquid repertum fuisse; etiam splen ipse qui adeo in his malis ab omnibus ferè accusatur, sæpius in hisce cadaveribus integer, debitæ magnitudinis, & bene coloratus, fuit inventus: aliquando autem vix ulla pars evadat: & quoniam Affectus hic vim suam tam frequenter in viscera Hypochondriis subjecta exercet, vocatur *morbus hypochondriacus*; dicuntur etiam à multis *Lienosi* qui hoc laborant morbo.

I X.

Hæc autem *Regio hypochondriaca* haud plus ab hoc malo patitur, quam & hæ partes quæ super Diaphragma sunt positæ, ut eleganter conqueritur Comædus,

— *lien necat, renes dolent,*
Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur,
Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.

Chylus jam male concoctus intrans sanguinem, & statim pulmonem, idem ibi ac antea subit incommodum, ab hujus sc. debili structura: quare hic nondum comminutus pessima producit symptomata, & fundamentum jacit pro-

B 2 me-

melancholia inveteratissima. Et quoniam Insultus gravissime nocturno tempore invadunt, ponamus hominem hypochondriacum jam cænatum, usque ad hoc sanguificationis punc-
tum satis placide dormientem; subito nunc & inordinate rumpitur somnus, se jam jam strangulatum esse gravetur, sentitur nempe in thorace maxima constrictio; adsunt respira-
tio difficilis, summæ anxietates & tam hor-
rendæ, ut aptius equidem *igni expurgatorio*, quam ulli cognito dolori comparentur; sa-
væ ac violentissimi cordis palpitationes & tre-
mores, ita ut parva res sit quæ spiritum cor-
pori nunc alligatum detinet: durant hæ mo-
lestæ & pertinaces vigiliæ spatio plerumque
duarum vel trium horarum, cum inquietu-
dine atque perpetuis jaetationibus.

Infestant quoque dolores acutissimi, qui modo in una parte circumscribuntur, qui modo in una parte circumscribuntur, modo ad scapulas extenduntur. *vid. River. Cent. 4. obs. 34.* caput verò præcipue afficitur doloribus nempe atrocissimis; adsunt scotomiæ & cre-
bræ vertigines, horrendæ chimericæ ideæ præ
oculis volitantes: moleste etiam cruciatur æ-
ger

ger tinnitus aurium , quod est symptomata hu-
jus morbi satis notabile , & videtur oriri à
quodam vasorum hoc tempore nimis dissen-
forum pulsu in nervum auditorium.

X.

Ad inferiora etiam percipitur pulsatio ve-
hemens , præsertim circa vasa cæliaca & me-
saraica ; hinc , pergente morbo , oriuntur ob-
structiones , tumores , inflammationes , ulce-
ra , gangrenæ , scirrhi , &c. in his vasis , in
liene , ventriculo , pancreate , omento , me-
senterio , hepate , &c. & nunc orta est ista
vera sanguinis & humorum malignitas , ubi
mobiliora dissipantur , & immobilia unita re-
linquantur. Hic est ille succus melancholi-
cus , vera sc. *Bilis atra* Veterum , & nunc
vocatur hic Affectus *Melancholia Hypochondria-
ca* : de qua unicus Celeberrimus B O F R-
H A A V E , Præceptor omni reverentia co-
lendus , & Promotor meus exoptatissimus ,
consulendus est , in *Cap. de Melancholiâ*.

X I.

Et ne ulla totius hominis pars inulta penitus evadat ; hic morbus , ut notat sagax noster SYDENHAMUS non solummodo internas afficit partes , sed etiam & exteriores , *maxillas* , sc. *dentes* , *manus* , *crura* , *tibias* ; unde dolores , tumores , lassitudines , & summæ debilitates ; hinc Affectio hæc vix à Scorbuto distinguitur.

X II.

His ultimo addatur illa spirituum animantium Ataxia , a præclarissimo dicto Autore pro soli causa horum Affectuum assignata , cuius Ataxiæ ratio in debiliorem spirituum crasim ab eo fundatur , quæ etiam a debilitate structuræ humanæ dependet , *quamobrem* (*inquit fæminas longè plures quam masculos hic morbus aggreditur* .

Ab hac Ataxia spirituum omnia jam recitata symptomata valde graviter exaggerata esse videntur , & plurima de novo excitantur , quoniam Ataxia hæc sæpius ab ipsa mente naſcitur.

XIII.

X I I I.

Dixi igitur hunc affectum sæpè vitio corporis, sæpè vitio solius animi, & specierum nimis altè imaginationi impressarum contingere, ut fit in iis qui ex nimia devotione, studio aut amore melancholici evadunt: Animi pathemata gravia & diuturna (dicit Cl. RIVERIUS) ad hunc affectum generandum maximam habent vim; ab his enim oritur summa spirituum animalium Ataxia; hinc phantasia & imaginatio adeo in his hominibus lœduntur, unde timores, iræ; zelotypia, suspiciones, & desperatio, solent enim animum despondere, & omnem spem salutis recuperandæ rejiciunt; hinc etiam istud symptomà h̄ic adeo commune, morborum nempe quibus immunes sunt possessio imaginalia, &

*Quamvis deesset morbus, ipsa opinio
Morbi, malum ingens atque ineluctabile est.*

Adest cogitationum æstus, & fluctuatio molestissima, animi sc. ista incertitudo a Poëta hypochondriaco nitide descripta,

Nil

*Nil audire velim , nil discere , quod levet ægrum :
 Fidis offendar medicis , irascer ^Damicis ,
 Cur me funesto properent arcere veturno .
 Quæ nocuere sequar , fugiam quæ profore cre-
 dam :*

Romæ Tibur amem , ventosus , Tibure Romam .

Est quædam levitas & inconstantia quæ semper ægri comitatur actiones , hæ enim omnes videntur a subitario quodam animi impetu fluere . Obnoxii etiam sunt fletui & cachinno ex nulla data ansa , ut & innumeris chimaeris satis ridiculous .

Hinc denique videtur pendere istud SYDENHAMI signum pathognominicum hujus morbi , urinam sc. limpidam quam redunt hi homines ante paroxysmum ; quoniam observatur exemplò & magnâ copiâ effluere quando animus ulla molesta ac tristi cogitatione agitatur .

X I V.

Hæc , ni fallor , sunt præcipua phœnomena huic Affectui familiaria , quæ si non debito ordine enumerata , tamen plus minusve illos

illos miserrimos homines invadunt, ad quorum ærumnofam experientiam provoco.

Plenam pro hisce rationem reddere, fateor meæ non esse facultatis; fallacia omnia ex Arte hodierna penitus delentur, quare nec agnoscamus splenem esse hujus morbi fomitem, nec, si esset, ex hoc quasi ex furno exhalar vapores totum hominem obnubilantes; nec oriri hos Affectus à fermento, nescio quali, in hocce viscere deposito, unde inflammantur spiritus animales, &c, instar pulveris pyrii, passim per universum corpus disploduntur: nec produci posse à verâ fermentatione, vel putrefactione massæ sanguineæ; nec ab ullâ aëris in sanguine rarefactione, quoniam nec Acidum nec Alcali sanguine viventis inesse potest, nec Aer ibi ut talis agere queat, quin brevi tempore tota fabrica humana dirueretur. Hic igitur desisto, & verbum tantummodo de Prognosi & Curatione addam.

X V.

Diuturnus quidem Affectus est, minime tamen lethalis *Hipp. L. de Affect. §. 5.*

Urina aquosa & limpida mala, & ubi talis

C mi-

mictatur & largâ quantitate, statim aderit vio-lens paroxysmus. Urina crassior melior est. Al-vum laxam habere, bonum: adstrictam verò habe-re, malum.

A symptomatibus ex indigestis, coctione levan-tur, aut alvi excretione, vel multis flatibus ex-cretis, vel vomitu, vel denique ructibus editis.

Vertigo, & diuturnus capitis dolor in epilep-siam, vel cæcitatem, vel apoplexiā degene-rat.

Ex quibus patet hunc Affectum, licet ra-rò ex se lethalem, tamen sæpè toto vitæ de-cursu perseverare, & sæpius in alios pericu-lofos desinere morbos.

X V I.

Curatione itaque indiget hic morbus, gravis enim est, & diuturnus, nisi confessim curatio ad-bibita, quare venienti occurrite morbo.

Imperandum ut cibis boni succi, & co-etu facilibus vescantur; vitando omnia crassa, falsa, acria, flatulentia &c.

In somno, & vigiliâ, servanda mediocri-tas.

Exercitationes sunt valde utiles, hisce enim

gra-

gradatim augentur motus solidorum & fluidorum; secundum id Comici,

— Ambula, id leni optimum est.

Satis antiquus fuit usus purgantium in hoc morbo, ut patet ex historiâ Melampi qui ope Hellebori sanavit olim filias Regis Prœti, qui ita hystericae perfecte fuere, ut se in vacas conversas fuisse putaverunt. vid. *Le Clerc. Hist. de la Med. Cap. 2. & 9.*

Et licet hæc fortiora purgantia hodiernam vix intrant praxin, ab optimis tamen Medicis cathartica mitiora in hoc morbo commendantur: optima videtur methodus illa à Clar. Professore BOERHAAVE indicata, utendi sc. sale *Tachenii*: sumantur v. g. hujus salis dr. j. in Aquæ unc. viij. dilutæ, jejuno stomacho cum deambulatione leni in aëre frigidiusculo, sumpta vesperi præcepenti pilula ex Aloës lotæ gr. iij.

Ubi mens præcipue afficitur, *animus avertere debet ab objecto consueto*, omnes curæ, & tristitiae fugiendæ sunt, animus potius liberalibus oblectamentis recreandus est: Musicos sanè consentus tristitiam animo expellere:

C. 2. ve-

vetustissimis pulchre perspectum fuit; memoriabilius quid afferam, quam quod sacer, & antiquissimus, Autor nobis tam diserte narrat, videatur omnino [Reg. l. i. c. 16.] Quando spiritus malus exagitabat Regem Israëliticum, ex consilio, missum est pro *Davide*, & dicitur “quandocunque spiritus malus arripiebat *Saul*, *David* tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur *Saul*, & levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.

F I N I S.

